

mel in ore & venenum in corde habuerit, ejusmodi vivendi rationem relinquat & ad meliorem se omni studio componat totumque sinceræ vitæ & veræ pietati dicet. Quis ita dixerit & sibi hypocritarum conversionem, convictionem & salutarem ædificationem hoc modo promiserit? Sane nisi concionator hypocritas sui coetus legis fulmine tetigerit cordaque ipsorum (quo vero varia hic non denuo repetenda spectant) malleo verbi legis contriverit, postea vero supra ostenso ordine ad Christum & hac ratione demum ad vere piam vitam duxerit, nullum unquam laboris sui fructum exoptatum sentiet. Interim B. L. errata, si forte quædam in has plagulas irreperint, festinationi catenatisque laboribus aliis tribuet, si vero quis rem ipsam, istius scopum aut modum proponendi pejorem in partem rapere & sic forte de instituto nostro, quali-demum-cunque ratione fuerit, inique sentire velit, ad *לֹא יָשִׁיבוּ פִּשְׁעֵי עַל-לֵב* eum remittimus, Deo pro viribus clementissime concessis & nunc & semper grates persolventes immortales.



Coll. olim A

1907